



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Cura & Exemplum parentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Socias Virgines à Religionis castæ proposito frustra avertere tentasset, repente oculis animi, corporisque captum, de loco iudicii se proripuisse; & propinquam ad domunculam delatum, in lebetes & alia vasa coquinaria incidisse, in eorum, tanquam puellarum oscula & amplexus ruisse, vultumque tam foedè fuligine denigrasse, ut omnium risus & ludibrium factus, novum velut monstrum & spectrum exagitaretur; donec per suos domum reductus, faciem quidem pristinam recepit, mentem tamen non mutavit. Lippeloo. 25. Decemb. In hac *Apularia* sapius amatores stolidi personam agunt, & inter illos Jason chorum ducit.

III. (e) Ægeus Theseum filium non agnovit, quid mirum? oculos ei fascinavit Cupido; animum dementavit Medea. Quod verò poculum amatorium (Græcis philtum) è manibus bibitori excussit, in eo parentis officium implevit, cuius est curare, ne filii, filiæve insidiosis artibus, alloquijs, munusculis per lenones & lenas seducantur. O quoties venenum hisce poculis ab inconsulta juventute bibitur, & inde ad amoris impuri insaniam concitatur. Ovidius monet:

Philtum nocent animis, vimque furoris habent.

Sed Ægeus ipse quoque habuisset opus amico, qui medicati virûs Scyphum projecisset, ne cum Medæ lenoncinio hauriret dolosam pestem. Adeo sæpe patres exemplis docent, quod verbis vetant.

(e) *Cura parentum & exempla.*

SYMBOLUM XL.

Thesei præclara facta.

7. & 12. *Metam.*

Ethicè.

1. Princeps fortis & sapiens.
2. Inconsulta fœderum societas.
3. Prudentia Politica & Polemica.
4. Amicitia vituperabilis.
5. Puellarum deceptio.
6. Symposiorum & comestationum tempestas.
7. Vita hominum Labyrinthus.
8. Minotauri effigies symbolum secreti.
9. Diabolus similis Proculi latroni.

Parentes Theseo fuerunt, quod dixi, *Ægeus* rex Atticæ, mater *Æthra*, Pithei filia, in Peloponneso regnantis. Qualis & quantus futurus esset, & adultior accessisset ætas, ejus pueritia ostendit. Fortè *Hercules* Træze-